

pedites mille vel saltem quingentos ex provisionariis tuis presenti necessitati sufficere, quod tamen iudicio tuo, qui sapientissime omnia perspicis, totum relinquimus. Unum requirimus, ut quam primum venire illas mandaveris, nos ilico facias certiores, ut in tempore ductoribus earum significare possimus, in quam partem terrarum nostrarum divertere illas velimus. Quod si forte comes predictus tuis admonitionibus cedens Assisium nobis antea redderet (quod tamen incertum est nobis) nobilitati tue scribemus quam partem illarum gentium si necessitas fuerit relinqui nobis optemus, in omnibusque ita nos habere curabimus ut obsequia tua cognita et grata fuisse intelligas. Quia vero carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Sicilie rex illustris nuper ad comitem antedictum Antonium de Pisauo transmisit, et is hac iter faciens instructiones, quas ad illum regio nomine deferebat, nobis ostendit, ne quid tua nobilitas eorum quae aguntur ignoret, cuncta tuis oratoribus predictis narravimus. Ex quorum litteris illa et que in presentiarum exposcimus plenius intelligere poteris. Solum eandem tuam generositatem hortamur in domino, ut cum primus in Italia princeps sis, qui ingruente necessitate ad conservationem comunis pacis et protectionem apostolice sedis contra illarum turbatores semper exurgas, tuam in hoc gloriosam consuetudinem studeas retinere et in cumulum tue in nos fidelis voluntatis causam nobilium predictorum nostra opera inceptam, suffragio tuo et celeri missione eius quem dicis iuvare contendas, ut omni ex parte tibi debere et agere gratias habeamus. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die X. decembris millesimo quadringentesimo octavo pontificatus nostri anno primo

Ja. Lucensis.

[P. S.] Super his etiam dilectus filius Galeottus de Agnes. familiaris noster per suas litteras tuae nobilitati desiderium nostrum et presentem necessitatem pluribus explicabit.

[A tergo]:

Dilecto filio nobili viro
Francisco Sforzie duci
Mediolani.

Orig. alla Biblioteca Ambrosiana in Milano. Cod. Z-219. Sup.

5. Papa Pio II all'imperatore Federico III.¹

Spoleto, 26 gennaio 1459.

Lo loda perchè fu sempre fedele alla Santa Sede e lo ringrazia per le notizie su ciò che si prepara contro l'imperatore e il papa.²

¹ Cfr. sopra p. 39 e 50.

² Cfr. in proposito GERHARDT, *Gravamina* 29.